Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.

Wien, 1793 Seite 1085

Quelle:
Copyright:

thia) *Heinricus de pernek, Richardus de holenek, Hainricus paumgartner, Domina Margareta de Goldek, dominus Wulfingus de ſtubenberch iunior*, quem *Wulfingum* III. putem, *Vlricus plebanus de Goſſe, Dominus Dietricus de ſtatek, Dominus Vlricus Pincerna de Ramſteaig, Tuta abbatiſſa, Domina Albœidis De Grecz, Domina babil* (Barbara) *de pekach.* Item ad diem VII. Id. Mart. *Hodie ſeruiendum eſt conuentui a domino Ottone De bannawe*, et ad diem IV. Id. ejusd. *Hodie ſeruiendum eſt conuentui a domino chunrado ſcriba et a domino leotoldo de Stadekk quondam Marſch. in auſtria.*

CCXCII. VII. J. 32.

839 Codex partim chartaceus, partim membraneus Sec. XV. Folior. 171. 8. non una manu, maximam partem tamen probe ſcriptus et rubricis diſtinctus, olimque κτημα *Fratrum S. Crucis in Colonia* haec complectitur: I. *Incipit epiſtola beati bernardi ad ſacerdotem.* Hoc modo: *Reuerendo ſacerdoti frater. b. ille ſeruus antiquus et nouus in nouitate uite ambulare. Satis ſuperque compertum eſt quam anhelanti deſiderio* &c. A *Bernardo* abjudicat *Mabillonius* edit. *Pariſ.* 1690. *Vol.* II. *col.* 523. aitque ſe inſcriptam vidiſſe: *Gemma Crucifixi.* Ipſe *inſtructionem Sacerdotis* inſignit. In *Cod.* ſubjacet haec clauſula: *Explicit epiſtola beati Bernardi Abbatis clareuallis Anno domini M° CCCCXXX°. in profeſto beati Mathei apoſtoli et Euangeliſte per fratrem hermannum conuentualem Colonien.*

II. *fol.* 28. p. 2. *Incipit epiſtola magiſtri gerardi magni* (ſeu Groot) *ad quendam ſacerdotem. Codex* DCLXXX. addit: *Prouincie Maguntine.* Eum, ſi lubet, adi. Exemplo praeſenti ſubſcriptus eſt annus 1433.

III. *fol.* 33. *Incipit deuota exhortacio ad ſacram chriſti communionem.* Praeit elenchus *Capitum* XVIII. prorſus idem, qui in antiquis *Codicibus* et genuinis *Librorum IV. de Imitatione Chriſti* Editionibus habetur. Nomen Autoris *Thomae a Kempis* non comparet, id, quod paſſim fit in Exemplaribus *Librum* hunc IV. ſeorſim exhibentibus. Lectio valde caſtigata eſt. Initium: *Venite ad me omnes* &c. Finis: *nec ineffabilia dicenda. Et ſic eſt finis huius libelli. Deo gratias.*

IV. *fol.* 56. *De modo habendi ſe in eccleſia precipue inter miſſarum ſollempnia.* Pia inſtitutio, praecipue modum cum fructu adſiſtendi Sacrificio docens. Ejus initium eſt: *Sanctum dei templum etiam materiale decet quemlibet chriſtianum venerari corde et corpore. Tu igitur quoties dei eccleſiam videris* &c. Et finis: *quolibet tempore tam die quam nocte.* Autor non proditur.

V. *fol.* 70. p. 2. *De modo communicandi ſacroſancto ſacramento Corporis Domini noſtri ihesu chriſti.* Init: *Tempore ſacroſancte communionis pro primo exercitio*